ἀρχὴν εἶναί φησι τὴν ψυχήν. Implorabam auxilium interpretis Argyropyli, verum illum plus obscuritatis quam lucis oculis meis offundere sentiebam. Theodoritum itaque adivi, quem ita explicare Heracliti de anima opinionem memineram Παμφίλης καὶ Ἵππασος καὶ Ἡράκλειτος πυρώδη τὴν ψυχὴν κεκλήκασιν. Simili modo eam repræsentare postea comperi Tertullianum, qui inter eos, qui *de manifestis corporalibus animam effingunt* Hipparcum & Heraclitum refert, qui *ex igni* eam constare statuant. Jam secundum istos autores merito dici posse existimabam τὴν ἀρχὴν εἶναι τὴν ψυχήν, hoc est principium, sive ejusdem naturæ cum principio, a quo res omnes Heraclitus deducit, animam ex ejus sententia esse. Pro principio enim habet ignem, & igneam quoque animæ naturam, si istos sequamur tribuere videtur. Ast vero Aristoteles non ignem sed ἀναθυμίασιν animam juxta Heraclitum esse ait, quam vocem *vaporem* sive *exhalationem* vulgo significantem, ipsum aerem hic, ubi de Heracliti placitis sermo est, interpretari non dubitavi, utpote qui ex ejus mente rectius explicata ἀναθυμίασις quædam est, prout ex istis Plutarchi luculentum evadit: Ἡράκλειτος καὶ Ἵππασος ἀρχὴν τῶν ὅλων τὸ πῦρ εἶναί φασι — τὸ δὲ καταστρεφόμενον κοσμοποιεῖσθαι τὰ πάντα. πρῶτον μὲν γὰρ τὸ παχυμερέστατον αὐτῶν εἰς αὐτὸ συστελλόμενον γῆν γίνεσθαι. ἔπειτα ἀναχαλωμένην τὴν γῆν ὑπὸ τοῦ πυρὸς φύσει ὕδωρ ἀποτελεῖσθαι, ἀναθυμιώμενον δὲ ἀέρα γενέσθαι. Si igitur ἀναθυμίασις sive aer est anima, & ἀρχὴ tamen etiam est, hoc est ejusdem cum eo, quod pro principio Heraclitus agnoscit naturæ, sequetur inde ἀναθυμίασιν sive *aerem* principium rerum naturalium ex ejus mente esse. Illorum enim utrumque ac proinde hoc etiam, quod ex illis sequitur, velle sibi Aristotelis verba videntur, quæ ita ego exponebam: *Heraclitus quoque ejusdem, cum principio, naturæ animam esse ait, siquidem aer illa sit: ex quo reliqua constant, utpote omnium maxime simplici, & in continuo motu constituto.* Quamvis autem ultima hujus ῥήσεως verba, quæ ex aere reliqua constare, utpote omnium maxime simplici, & in continuo motu constituto, dicunt, aptissima esse videantur, quæ cui-

Therap. V. p. 73. De anima c. 5.

Plut. de Placit. Philos. l. 1, c. 3.